# The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

## Ambicio i

### cum fontibus primis

Locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus.

Sed per hoc ad pastoralem sollicitudinem uos congrue uenisse ostenditis, quia, sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus.

Gregorius Magnus, *Registrum epistulorum*, 7.5 (CCSL 140, D. Norberg ed., p.448, ll.10-12).

Virtutibus ergo pollens coactus ad regimen ueniat, uirtutibus uacuus nec coactus accedat.

Gregorius in pastorali.

Inter haec itaque quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut uirtutibus pollens coactus ad regimen ueniat, uirtutibus uacuus nec coactus accedat?

Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, 1.9 (SC 381, F. Rommel ed., p.160, ll.37-39).